

**BERNARDINI OCHINI
SENESENSIS DIALOGORVM**

**liber secundus, cū alijs de rebus
varijs, tum potissimum
de Trinitate,**



*Quorum argumenta in proxima
pagina inuenies.*

B A S I L E A E

M. D. LXIII.

POTENTISSIMO SERENISSI

moq; regi Poloniae SIGISMUNDO II. Li
 tuanię magno Duci, Russiae, Valachiae, Prussiae
 Masouiae, Samogithiae, Pomeraniae, aliarumq;
 prouinciarum, Principi & Domino, omnem ve
 ram felicitatem à deo patre nostro per
 Iesum Christum dominum nostrum
 optat Bernardinus
 Ochinus.



Vemadmodum hominē ad Dei imaginem
 creatū, si innocēs et sanctus est interficere,
 summa crudelitatis est: ita eiusdem, ne dicā
 maioris est crudelitatis, impiū hominem, si
 mortē meritus est, nō interficere. Quō fit ut imperato
 rū, et regū atq; magistratuū officiū sit (ne uel inson
 tes interficiendo, uel fontibus parcendo, tātō scelere se
 ipsos obstringant) ex diuina doctrina certū explora
 tūq; habere qui nam morte plectendi sint, aut secus. Et
 quoniam nostris tēporibus dubitant multi nū in here
 ticos capite animaduerti debeat, an cōtrā, quæstionem
 hāc enucleandam esse iudicaui. eamq; ob causam dialo
 gū hūc conscripsi. Et quia in regno tuo à te, Rex, aper
 tā esse, Euangelio portam cognoui, idq; iam satū edere
 fructū, ueritus ne Satan, ut solet, aliquā ibi seminet here
 sim, libellū hūc tibi, rex, ita dicandū putauī, quo tu tātō
 libētius eū legas, atq; ita quid tui hac in parte sit officij
 cognoscas, quā me a erga te sincerā uoluntatem ut
 boni cōsulas opto, deoq; sic uiuas, ut ei omnē honorem
 et gloriā tribuas per Iesum Christum dominum no
 strum Amen.

DIAL.

DIALOGVS XXVIII

QVO PACTO TRACTAN-

di, & quando occidendi sint
hæretici.AVTHORE BERNARDINO
Ochino.*Interlocutores Pius quartus Pontifex
Rom. Moronus Cardinalis.*

VM multa, eademque gravissima onera humeris nostris incumbant, tum illud vel in primis molestum est, quòd non solum in Italia, verum etiam alijs in locis Europæ atrocissimè infestantur hæretici, & facultatibus & honore spoliantur, & in vincula conijciuntur, omnesque indignitates perpessi, ad extremum concremantur, eaque omnia & per speciem religionis studijque iustitię, & nostra autoritate fiunt. Et quia experientia cognovimus, quâto magis vexati sunt, tantò magis eos creuisse, quæ res efficit vt eis Deus fauere videatur, incessit nobis suspicio, in eos sic sæuiri rem esse quę deo displiceat cõperimusque graue illud supplicium, in quod decessor noster, illorum hostis longè crudelissimus, nec non eius intimi charissimique amici incurrerunt, declinare. Quapropter quidnam sit nostri erga illos

illos officij, dici sanè sincere velimus. Mo. Si quis latronis, aut homicidæ, aut grassatoris patrocinium suscipit, non iccirco illius similis habetur: at in hæretico fit. cuius rei causam hanc esse opinior, quòd plerumque fit vt hæretici & numero multi sint, & in hominibus potentes atque gratiosi, proque Euangelicis habeantur: cum contrà veri, sinceri, sanctique Christiani, & numero pauci sint, & hæretici iudicentur. Et quoniam hos veritate præditos conuincere ratione & autoritate illi non possunt, fraudem & vim adhibent: ac ne quis hæreticorum causam defendendam suscipiat, si quis faxit, hæreticum proclamant, traducunt, eidemque supplicio subijciunt. Ego verò si illorum causam meritò defendendam suscepero, in suspensionem apud te venire nolim. Rursum vt verba faciam.

Prover. 31. mutique causam agam, iubet Solomonis voce Deus. mutum appello eum qui causam suam agere aut nescit, aut non potest. P. Loquere modò liberè: nam alium te, quàm quod es, nō iudicabimus. Equidem si veri cognitione constringi nostra posset potestas, tacere te iuberè: sed ea semper & fuit, & est, quandiu durabit erit libera, soluta, & omni æquitate superior. M. Vt huiusce rei veritatē inueniamus, sciendum est hæreticum eum interdum appellari, qui rem aliquam sibi constanter credendam se quendamque deligit, eam bonam veramque esse existimās. Quòd si ea re ipsa vera bonaque est. is bonus est hæreticus: atque hoc pacto veri bonique Christiani meritò vocantur hæretici, postquam

**Hæreticus
quis sit.**

**A. 24.
26. 28.**

quam Euangelicæ veritati constanter adhærescunt. Et tales quidem non infestandi, sed defendendi sunt, & fauore prosequendi. Illud fateor, hæretici nomen plerumque in vitio poni, ac de eis dici qui & errant, & errori suo pertinaciter adhærescunt. Atque hîc quidem considerandum est, vtrum in re ad salutem necessaria errent, an secus. Nam si in re errant ad salutem non necessaria, comburi non debent, neq; pro dei inimicis haberi. Iam verò non solum doctores scholastici multas habent inter se cōtrarias opiniones, cuiusmodi occurrit illa de Mariæ virginis conceptu, nonnullis eam in originali peccato conceptam fuisse, alijs contrâ contentibus: verùm etiam Canonistę multis in rebus sunt inter sese discordes: neque non inter sese discordarunt antiqui doctores nostri, neq; tamen digni fuere qui comburerentur, excommunicarentur, deuouerentur, vtpote qui non in necessarijs ad salutē rebus errauerint. P. Si in Apostolorum symbolo continentur omnia ad salutem necessaria, sicuti credendum est: & omnes quicumque intra annos circiter quadraginta, hæreseos nomine direpti, diffamati, vexati sunt, crediderunt & confessi sunt (vt quidē audiuius) quicquid in Apostolorum symbolo cōtinetur, efficitur, vt ob res ad rem non pertinentes, & ad salutem non necessarias sæuitum in eos fuerit: & forsā quia quædam non crediderint, quæ si credidissent, hæretici vel terribissimi fuissent: ideoque in eos sæuiri non debuerit. Quòd si est, qui eos interfecere Papæ, itidem-

itidemque eorum ministri, fuere crudelissimi sceleratissimiq; tyrāni atque carnifices. Enimvero tu nos acriter perstrinxisti. M. Tu verò mihi vt quid sentirem dicerem, mandasti, itaque de me cōqueri meritò non potes, si tibi obtempero. P. Age, perge. M. Iam si in fidei fundamentis errat hæreticus, & imprudens errat, libèter vera amplexurus, erroremq; suum, si sciret, relicturus, comburi non debet. Si quidem vult non solùm naturæ, verùm etiam Mo-
 fis lex, vt si non dicam fratris, sed extranei, atq; adeo inimici tui bouem asinumue, aut agnum de via aberrantem, deque vita periclitantem videas, non occidas, sed contrà quoad eius fieri poterit in viam reducas. quod idem homini tantò magis præstari debet, quātò est & bestijs nobilior, & Deo charior, quantoque eius vel salus vel interitus maioris est momenti, quàm reliquorum animalium. Hoc iubet lex charitatis: quod dum præstatur, fit vt qui imprudens errat, & rationis expers non est, si ei recta via ostendatur, eam omiſsa praua ingrediatur, & monstratori gratias agat. P. Non ita minutatim res perscrutantur Quæsitores nostri: quin si quis errat, comburunt, ne fœteat. M. Atqui non traditur in sacris literis, præceptum esse à Deo, Vt si quis in rebus ad salutem necessarijs errat, comburatur, sed vt doceatur. Et tu si Romæ furiosus esset aliquis nepos tuus, non eum cremādum curares, sed in cubiculum aliquod concludendum atque constringendum, ne vel sibi vel alijs nocere posset: & insuper statueres
 vt eum

Errantes
 in viam re-
 nocandi nō
 occidendi.
 Deut. 22.

vt eum medici, si possent, sanarent. Similiter hæresis cum sit aliud nihil, quàm furor quidã qui homines inuadit, tuum esset curare vt heretici aliquo in loco detineretur, in quo alios interficere non possent: & insuper operam dare vt eos docti docerent. id quod Christianæ pietatis est. Nunquam statuit Deus vt qui insciens peccasset, interficeretur, etiam si hominem occidisset. quinimo vt huiusmodi homicidarum vita consuleret, asyla instituit. Et Iudæorum pontifex non occidebat eos qui inscienter peccauerant, sed pro eorum imprudentia sacra faciebat ac supplicabat, sicut in literis habetur. Dixit Abimelechus deo: Etiamnè infontes interficies? vbi se infontibus annumerat, quoniã imprudens alienam vxorem, videlicet Saram, sibi asciuisset. Christus ipse de Iudæis loquens dixit: Nisi ego venissem, & eos allocutus fuisssem, in peccato non essent: nunc peccati sui excusationem nullam habent. Itaque si Christus venisset ille quidem, sed se Messiam esse non patefecisset, excusabiles fuissent Iudæi, cum pro Messia non habendo. Quinimo tametsi licet se Iesus eis tot modis tam aperte patefecerat, & tamen ab eis admissus non fuerat, tamen non modò eos non interfecit, verùm etiam moriẽs in cruce pro eis orauit, eosque excusauit. Nesciunt, inquit, quid faciant. Et nos, homines comburimus, si non admittunt non dicã Christum, sed decreta nostra? Addam aliud: Magistratui hominem de improviso, nulloque ad penitentiam concesso spacio, quãuis mortem nullius

Leui.4.9.
Deut.4.

Luit.16.
Heb.9.
Gen.20.

Ioan.19.

Luc.23.

nullius meritum, interficere tamen non licet. quoniam si eum nullo ad pœnitentiam cōcesso spacio interficeret, esset forsan in causa vt ille in sempiternum periret, acturus fortasse pœnitentiam, si de imminente morte sua præmonitus fuisset. aut si pœnitentiam præmonitus non e-
 gisset, at per magistratum quidem non stetit. Similiter hæreticum occidere magistratui non licet, qui hæreticus in rebus ille quidem ad salutem necessarijs erret, sed imprudens. quando quidem non iccirco pœnitentiam aget, si interficietur, vtpote qui se in errore esse non putet, ac ne quidem si ei detur ad pœnitentiam spacium: quinimo operam dabit vt seipsum tanto magis in errore suo confirmet. Ita fiet vt qui se Christi martyrem esse putabit, damnetur ad æternum supplicium, idque culpa magistratus, cuius erat eum docere, non cremare. Ita fit vt si magistratus hæreticum scienter prauaque voluntate, idque in rebus ad salutem necessarijs errantem, interficiat, minus peccet, quam si errantem quidem, sed imprudēter, in rebus item ad salutem necessarijs, interficiat. propterea quod de illius pœnitentia & salute spes est: de huius non item. Quanquam fieri posset vt hic metu mortis adduceretur ad mētiendum, hoc est ad dicēdum id se credere, quod re vera non crederet. Itaque imprudenter peccantium verum vnicunq̄ue remedium est hoc, si de veritate doceantur, ac pro eis oretur. Est enim hæresis error quidam in mente hominum, ideoque res spiritualis & indiuulsa, quæ non scalpris,

non

non lanceis, ac ne igne quidem auelli queat ex animo, sed duntaxat luce sermonis dei, quæ simulac mentem illustravit, euanescent omnes errorum tenebræ. Hanc ob causam dicit Paulus. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed diuinipotētia, ad munitionum demolitionem, quibus arinis cogitationes deturbamus, & omnem sublimitatem elatam contra Dei cognitionem, omnēque mentem ad obediendum Christo cogimus. Iam si hæreticis vim facere volumus, protinus nos eis suspectos reddim⁹. Sic enim ipsi secum ratiocinantur: Si nos isti rationibus aut Dei sermone possent conuincere, nunquam vim adhiberent. itaque omnino iniqui sunt. Ita fit vt nos pro impostoribus & inimicis habeant, ideoque seiplos confirmet ac resistant. Quòd si charitate & Dei sermone in eos vteremur, ipse se nobis dederent, & forsan eos lucraremur. Est omnino officij nostri, eorū hæresim, quæ praua est, ita tollere, vt hæreticū qui bonus est, quippe Dei creatura, seruemus. Vincitur autem hæresis, sicut & cretera omnia mala, contrario, sicut ignis extinguitur aqua. Proinde siue imprudēs errat, nostrum est eum docere: siue malitia errat, nostrum est, secūdum Pauli doctrinam, eum beneficijs vincere. Nunc contra fit, dum eo cremando perditur, non sanatur, creatura Dei, atque adeo sic hæretica in Orcum mandatur. Præterea non ex sacrarum literarum studio nascuntur hæreses, sicuti falso putant multi, sed à Satana atque carne, cuius sunt fructus, quemadmodum scripsit Paulus.

2. Cor. 10.

Vnde nam nascuntur hæreses.

Bb

Gala. 5.

Quòd si à Satana nascūtur, fugandus est ex hæretico Satanas. Atqui nec ferrum timet Satanas, vt inquit Iobus, nec vires nostras. at dei sermonem timet, ab eoque in nihilum redigitur, sicut scripsit Esaias & Paulus.

Iob 41.

Sin à carne nascuntur, non comburendus, sed regnendus est hæreticus, & ex carnali spiritualis efficiendus, id quod efficit fides, quæ quidem, vt scripsit Paulus, ex Dei sermone existit.

Esa. 11.

1. Theff. 2.

Si vel promissis aut minis, vel donis aut tormentis, atque adeo morte ipsa, perficere possemus vt errorem suum relinqueret hereticus, liceret nobis huiusmodi artes adhibere, modo ne dei doctrinæ contrarias. Sed ista ad eos de sententia dimouendos nihil conducūt, sed potius ad efficiendum vt mentiantur, contraque suam ipsorum cōscientiam ea se vel credere dicant, quæ re vera non credunt: vel non credere quæ credunt: idque quia pœnis affici nolūt.

Ioan. 1.

Ro. 10.

In hæreticos quid vi proficiatur

Itaque remedium verum nullum est quo possint ab errore suo auocari, nisi diuinæ doctrinæ lux atque preces, comitante proba vita. his nos remedijs vti debemus. Si penes nos esset hæreticis infusam illam, supraque naturalem, viam, verâ fidem dare, eamque ipsi nobis offerentibus repudiarent, esset eorum error magnus, grauique pœna dignus, præsertim si eam veram esse agnoscerent. Sed eam vel dare illis, vel etiam adimere, non est arbitrij nostri. Quin imo etiam si summa ope niterentur hæretici vt viam fidem adipiscerentur, ne sic quidem à Deo eam extorquerent: vtpote quæ, quemad-

Hæreticis quibus remedijs satisfaciendi.

modum

modum scripsit Paulus, Dei donum sit, neque Eph. 2. 8
ab operibus nostris, sed ab illius mera gratia
pendeat, qui eos demum illuminat, viuaque fi-
de donat, quibus ipsi placet, & quando placet,
non arbitrio nostro. Vocauit Deus nonnullos Mat. 20.
ad colendam vineam suam summo mane, alios
hora tertia, alios sexta, alios nona, alios vndeci-
ma: neque debemus eius misericordiæ termi-
nos statuere, quemadmodum dicit Iuditha, aut Iudith. 8.
ei tēpus in quo nos adiuuet præscribere. Quā-
obrem officij nostri est, non illos cremare, sed
Deum vt illos viua fide donet, orare: rursūq;
quòd ad fidem quæsitam attinet, eos sacris li-
teris docere, euentum Deo committendo.
P. At nobis interfici debere videtur hæreti-
cus, si in rebus ad salutem necessarijs peccat, li-
set insciens faciat, idque ob causam quam iam
dicam. Quemadmodum si quis priuatus homo
tyrannū interficeret, & in eo interficiendo pec-
care se nō putaret, sed potius sanctum facinus
patrare crederet, non iccirco illo interficiēdo
non peccasset: quinimo tantum esset eius pec-
catum, vt capite plectendus esset. Quòd si ca-
ptum à magistratu non pœniteret erroris sui,
quòd sibi rectè fecisse videretur, non ideo eum
non interficeret magistratus. Ad eundem mo-
dum si hæreticus erroris sui admonitus, non re-
dit ad sanitatem, sed in ignorantia sua perseue-
rat, nō iccirco debet magistratus ab eo creman-
do supersedere. Alioquin nunquam liceret ma-
gistratui in quenquam animaduertere, quippe
omnibus rectè se fecisse dicētibus, vitandi sup-

plicij gratia. M. Tu statuis hæreticum in rebus ad salutem necessarijs imprudenter errantem, esse interficiendum, id quod falsum est, quemadmodum & iam nonnihil demonstratum est, & mox demonstrabitur. Quinimo interfici non debet hæreticus, etiam si in rebus

Hæreticus licet scienter errans, interficiendus debet.

ad salutem necessarijs sciens volensque erret. Errare autem scientem & volentem non sic accipi volo, quasi id credat quod falsum esse sciat, quippe cum id fieri nequeat. Siquidem intellectus, qui sit facultas naturalis, quemadmodum ijs necessariò assentitur, quæ ipsi ceu vera obijciuntur: ita non potest non ab ijs dissentire, quæ ipsi ceu falsa ostenduntur: neque penes voluntatem est efficere vt falsis assentiatur intellectus, quandiu ipsi falsa esse videntur.

Scienter errare quid sit.

Igitur scienter errare sic primum accipi volo, si quis de fide sua dubitans, verà sit an contrà, ignorat: cunque dicere possit, non facit. Is, inquam, si credendo quod credit, in errore est, sciens volensque errare meritò dici potest. Sed longè illi magis scientes errant, qui quæ sit vera fides, quidque credi debeat, sciunt: atque adeo cogente veritate vera credunt: & tamen ijs quæ credunt contraria & publicè docent, & scribunt, & tum seipfos, tum alios decipere conantur, & ad falsa probanda fallacibus vtuntur argumentis, seque ea credere quæ non credunt, præ se ferunt ac profitentur. Atque hæc interdum ideo faciunt, quia fore vident vt si vera dixerint hæretici habeantur, amissaque auctoritate sua, infestetur. Quæ cum perpeti noli-

lint,

luit, vtpote carnales, cum mundo consentiunt, seque ea credere dicunt, quæ ijs placent cum quibus versantur. Sunt & qui cum aliquando falsa inscienter dixerint aut scripserint, recantare nolunt, ne errasse videantur, & authoritatem suam amittant. Nonnunquam invidia impulsus, qua in eos laborant qui vera dixerunt, contraria dicere aggrediuntur, etiam si ea non credant, quò & illos in invidiam vocent, & ipsi docti sanctique habeantur. Has & alias similes ob causas statuunt ijs cõtraria dicere, quæ vera esse re vera sciunt. Illud fateor, Deo illis, vt meriti sunt, illam quantulancunq̃ue veri cognitionem, quã aliquando habeant, subtrahete, postquam ea ad ipsius Dei probrum abutebantur, eos in obscurissimis versari tenebris, neque iam verum videre. Iam verò vt de ijs agamus qui in rebus ad salutem necessarijs scientes prauaque voluntate errant, dico esse cognitu difficile, vtrum scientes errēt: propterea quòd nullus vnquam ita impius stultusque futurus est, vt ita dicat: Ego, licet ita me credere præ me feram, tamen re ipsa contrã credo, & in eo perpetuò perseuerare volo. **PIV S.** Imò verò qui scientes errant, facile cognosci possunt, quippe qui ijs auscultare nolint qui ipsos docere conantur. **MORONVS.** Imò verò ideo cognosci nequeunt, quia etiam qui inscienter errant, quoniam exigua atque imperfecta fide præditi, decipi metuunt, non præbent ijs aurem qui ipsos ab errore liberare volunt. Sed ponamus aliquem in rebus ad salutem necessarijs insci-

Sciens quis
erret co-
gnitu diffi-
cile.

tem errare, vel potius scientem & volentem, idque insuper magistratui ex fide dignis testimonijs constare, ne sic quidem eum potest interficere: cuius rei causa est hæc. Deus omnibus in vniuersum interdixit homicidio: excipiens ille quidem certa facinora ob quæ principi aut magistratui liceat hominem interficere, qualia sunt adulteria, homicidia, cultus deastrorum, aliaque multa, inter quæ nusquam videas à Deo recenseri eos qui in rebus ad salutem necessarijs errant, siue inscientes errent siue scientes. Proinde cum non excipiantur hæretici, non possunt interfici, quin peccetur in Dei sermonem, vetantis homicidium. Hinc fit vt hæreticus, vt quidem est hæreticus, & tantum erret, siue in rebus ad salutem necessarijs, siue non necessarijs: siue insciens siue sciens erret, cremari non debeat.

P I V S. At illud satis est, quod cremari debet ob fructus prauos ex ipsa hæresi nascentes, cuiusmodi sunt blasphemias, idololatriæ, & his similia peccata, quæ sæpenumero ex hæresibus oriuntur, suntque sub pœna capitis interdicta. Præcepit enim olim Deus Iudæis, vt si quis apud eos vates extitisset qui ipsos à veri Dei ad falsorum deorum cultum auocare conaretur, eum interficerent, etiam si miracula faceret. Et mox illud subiicit. Si etiam frater tuus, eadem tecum matre natus, aut filius, aut filia, aut tui sinus vxor, aut amicus tibi æquè charus atque tua anima, te
arcanè

Exo. 20.

Leui. 24.
Deu. 19.

**Hæreses
 fructus.**

Deut. 13.
 Loca quæ
 ad interficiendos hæreticos adduci solent
Deut. 13.

arcanè cohortatus fuerit ad cultum deorū alie
 norum, ne ei obsecundato, ne auscultato, ne par
 sito, ne eius miserescito, ne eū celato, sed interfi
 citote, ita vt tua manus prima fit in eo necādo.
 Preterea præcepit vt si qui improbi Iudæi vr- **Deut. 18.**
 bes, in quibus dei populus habitaret, adijissent,
 & incolas corrupissent, & ad perregrinorū deo-
 rum cultum pellexissent, interficerentur vtriq;
 videlicet tum qui ad cultum illum alios pellexis-
 sent, tū qui pellecti fuissent. Illud insuper præci-
 pit deus, vt si quis alienis dijs, ac non soli vero
 deo sacra fecisset, interficeretur. Hinc fit vt in-
 terfici debeant hæretici, postquam deastros &
 colunt ipsi, & alios ad colendum adducunt, &
 peregrinis dijs sacrificant, & in verum deum im-
 piè loquuntur. **M.** Etiam si moralibus præce-
 ptis nobis à deo per Moſem traditis obedire de-
 beamus, non ideo ceremonialibus quoq; à deo
 Iudaico Populo per eundem Moſem traditis
 obedire debemus: ac neque indicialibus. a-
 lioquin neque magistratibus, neque impera-
 toribus cæterisque principibus legem vllam no-
 uā ferre. liceret, nec in capitalibus: nec causis,
 meinciuiilibus quandoquidē ijs esset in iudici-
 alibus causis parendum, quæ sunt à Moſe prodi-
 ta atque constituta: id quod falsum est. Proinde
 necesse non est vt magistratus in interficiendis
 fontibus normam equatur Moſis, præceptorū **facinoro-**
 iudicialium. **P.** Quòd decreuit deus in præce- **fos interfici**
 ptis iudicialibus (exempli gratia) vt occidere- **cur iusserit**
 tur homicida, non ideo præcepit quasi futu- **deus.**
 rum esset vt interfectus homicida iam homi-
 cida esse desineret.

Nam etiã si homicidam illum securi vël millies ferendum curaret magistratus, non iccirco nõ fuisset homicida, quippe cum fieri nequeat vt quod factum est, infectum fiat. Ne illud quidem dicere licet, homicidam ideo mori à deo iussum fuisse, vt quem ipse interfecisset reuiuisceret, quando quidem homicidæ nece, illi vitam non reddi perspicuum est. Ne eam quidem obcausam homicidam iussit interfici, quia vel sanguine delectetur, vel improborum mortem velit: siquidẽ sicut ipse voce sui vatis dicit, fontis mortem non vult, sed vt se corrigat & viuat. Quod igitur homicidam interfici vult deus, ideo vult, vt nec ipse, si pœnas non dederit, nec alij deinceps tam atrox facinus perpetrent cum improbo pœnas non irrogare, sit portam tum ipsi, tũ alijs aperire ad similia perpetranda. Itaque quemadmodum insontem, interficere crudelitatis est, sic & fontem dimittere crudelitatis non minoris ob ea quæ inde existunt peccata, incommoda, offensiones. Atque hæc potissimum causa fuit, cur interficiendos esse decreuerit deus homicidas, & qui parentes pulsassent, aut execrati fuissent, & plagiarios, & veneficos, & qui cum bestia rē habuissent, & qui peregrinis dijs immolassent, itemq; alios, sicut in Leuitico & Deut. 13. Deuteronomio videre licet. Sed quia tũ civiles tum capitales causæ occurrunt innumerabiles, sicut & ipsarum circumstantiæ, non expressit deus singillatim, omnia crimina, sed generatim loquutus, ea deum nominauit, quæ & sæpius accidunt, & maioris sunt momenti: voluitq; sua illa iudicia præcepta principibus & magistratibus normam

Leu. 24.
Deut. 13.
17. 18. 21. 22.

normam esse & regulam cæterorum omnium criminum. Eamq; ob causam statuit vt eligerentur prudētes iudices, vt si quod eiusmodi crimē incidisset, de quo nihil nominatim lege diuina cautum esset, possent tamen iustē iudicare, opera vniuersaliū regularū quas haberent, necnon legis moralis & naturalis & hominū animis impressæ, & à Mose expressæ, quæ ostendit eā pœnam, quæ improbo fonti irrogatur, iustissimā & mul & maximè piā esse, si est omniū pœnarū minima, quibus pœnis tū fontē illum, tū eius exēplo cæteros deinceps à peccādo deterreri posse verisimile iudicatur. Hocigitur dico, magistratū in eos animaduertere nō debere, qui Mosis præceptis ceremonialibus nō obediūt, tū quia illis præceptis deus nō nisi Iudæos subiecit, idq; nec omni loco, nec omni tēpore: tū quia illa aduētū Christi abolita, sicut vmbra solis præsentia, sic euauerunt. At in moraliū præceptorū violatores animaduertere debet, itidemq; iudicialium, quatenus morale habeat aliquid. M. Cū aliquando Christus, comitantibus Apostolis, Iero. A Christo
solyimā contendens, per Samariā iter faceret, de exemplum
negatū est ei in pago quodam Samaritano, per clementiz,
quod iter faciebat hospitiū: quā rē indignè ferētes Iacobus, & Ioha. dixerūt Christo. Vis iubeamus ignē de cælo descēdere, qui eos cōficiat, vt Luc. 9.
etiā fecit Elias? Quos ille reprehēdēs, Nescitis, i
quit, cuiusmodi spiritus filij sitis. Nā filius hominis hominū vitas nō perditū venit, sed seruatū. 4. Reg. 1.
En ab improbis illis cremandis, abhorruit Christus, & nos curabimus Hæreticos cremari? Est omnino Christianorum spiritus, sicuti demon-

Christiano
rum spiri-
tus Eliano
disimilis.

stravit Christus, ab Eliæ Indæorumq; spiritu. di-
uersus: quippe cū noster sit pietatis, charitatis,
modestię, clementię, comitatis spiritus, qui ex-
emplo Christi salutē dare studeat. At Elianus
ille spiritus fuit austeritatis & seneritatis, qui im-
probos perdere ac perimere studebat. Erat au-
tem Iudæis, vt septis pernicacibus, opus flagris:
at Christianis, vt filijs opus est blanditijs. Chri-
stiani dicimur, hoc est vncti, videlicet vnctione
sancti spiritus, qui spiritus est charitatis. proin-
de cauendum nobis est, ne quid nomine nostro
indignū, & ab eo discrepans, eiq; repugnans de-
signemus. P. Tu tibi persuades, vt quidem
præ se ferunt verba tua, supplicij irrogationē ef-
se crudelitatem, cum re vera res sit maximē pia,
neq; possit vllus princeps de improbo homine
pœnas capere cum iustitia, quin & cū misericor-
dia capiat: quinimo si cū summa iustitia pœnas
capit fieri non potest quin & cum summa mise-
ricordia capiat: vt pote qui in eo puniendo sum-
mum beneficium non solum in ipsum, verū etiā
in alios, & quidem multo magis conferat. quo-
fit vt eius misericordia & iustitia sorores sint in-
separabiles: neq; possis quisquā spiritū habere
iustitię, quin & misericordię habeat. Præterea
putas Christum, dum dixit Apostolis eos nesci-
re cuius essent spiritus, hoc voluisse dicere, cum
Elias spiritum habuisset crudelitatis, eos debe-
re spiritum habere misericordię. Sed non ita
est. Nam nec Elias in illis occidendis spiritum
habuit crudelitatis: nec Apostoli Samaritanis
illis mortem moliendo, spiritum habuere mise-
ricordię. Sed hoc voluit dicere, Elias vt illos
occide-

occideret, fecit instinctu spiritus dei: at vos ut mortem optetis istorum Samaritanorum, indignatione mouemini in eos, propterea concepta, quod ab eis vnâ mecum estis repudiati. Est igitur uester iste spiritus, carnis, id quod si sciuissetis, nunquam profectò ex me quæsiuissetis num uellem ut ignem de cœlo deuocaretis. Nô ego ueni ad occidendos homines, & malum malo retaliandum: sed ad seruandos, & malû bono pensandum: quod idem vos quoque facere debetis. Si uobis exploratum fuisset, vos, dum ignem de cœlo deuocare uultis, Dei spiritu impelli, nihil opus fuisset, ut à me consiliû peteretis: sed quia de eo dubitabatis, ideo me interrogastis. Præterea quæ allegasti uerba Christi, ea sententiæ tuæ non suffragantur: quippe cum planum facere debeas, à principibus & magistratibus Christianis occidi non debere hæreticos, ostendis duntaxat priuatis hominibus, quales erant apostoli, id non licere: ac ne id quidem euincis. Nam si apostoli spiritum habuissent Eliano similem, non peccassent, sed rectè fecissent, si Samaritanos occidissent: sicut & Elias sanctè fecit, ut eos necaret qui ad ipsum comprehendendum ueniebant. Illud facile confitebimur, si sanctè uiuerent omnes Christiani, sicuti debent, neminem à principibus & magistratibus esse puniendum.

Sed cum sunt improbi, magistratum est & principum in eos animaduertere, & ad id adhibere ac normæ loco habere Moysis præcepta iudicialia, quippe iustissima, ut pote quorum
sit au-

**Iudicialiſi
præcepto-
rum ſiſt.**

fit author Deus optimus maximus. M. At in
in eum uſum dedit deus illa iudicialia præcepta
vt ſolis Iudæis uſui eſſent, quippe quibus ſolis,
non item nobis, pœniſ opus eſſet ita ſeueris, vt
pote qui eſſent duri, peruicaces, infidentes, per-
tinaces. P. At nos iudicialia præcepta credi-
mus, quatenus mores quoque attingunt, fuiſſe
tradita diuinitus non ſolum in Iudæorum, ſed
etiam in aliorum omnium gratiam: putauitſq;
multis Chriſtianorum, quia improbitate ſunt Iu-
dæorum ſimiles, & fortaiſis etiam deteriores,
opus eſſe pœniſ ſeueris, ſicut & illis: nonnun-
quam etiam longè ſeuerioribus: quippe quoru
peccata tantò ſunt grauiora, quanto maiore ade-
pti ſunt veri cognitionem. Siquidem quemad-
modum dixit Chriſtus, ſeruus qui domini vo-
luntatem nouit, neque facit, grauius uapulabit:
quantoque maiorem habet eius cognitionem,
tantò pœnas dabit grauioreſ. Et tamen debent
principes & magiſtratus ſecundum rationis nor-
mam quam eis dedit deus, ſtatuta à deo pœnaſ
iudiciales vel diminuire, vel intendere, prout
poſtulat diuerſitas perſonarum, temporum, lo-
corum, caſuum, periculorum, cæterarumq; cir-
cumſtantiarum quæ poſſunt occurrere. M.

**Matt. 13.
Zizanioru
parabola.**

Chriſtus in parabola zizaniorum zizania colli-
gi uetuit, ne vna cum zizanijs extirparetur fru-
mentum, ſed ad meſiſiſ uſque tempus expecta-
retur, in quo nihil aliud dicere uoluit, quam nõ
eſſe interficiendos hæreticos, ne fortè ſi interfi-
cerentur, errore fieret, vt pro hæretico interfi-
ceretur aliquis electus Dei. P. Erras ſi putas
electos

electos Dei perire posse, quia dum in peccato sunt interficiantur, nō expectata messe, hoc est eorum correctione, mortisque tempore, quod à deo mittatur. Nam quemadmodū dicit Christus, perire non possunt, neque eos quisquam de Christi patrisue manu potest eripere. M. Si Paulus ab aliquo magistratu Christiano interceptus fuisset, quo tempore Christi Ecclesiam persequens blasphemabat, nōne de eo actum fuisset, qui in tanta impietate moreretur? certè fuisset, & tamen fuisse vntum de Dei electis negari non potest. Atqui in interficiendis hæreticis idem facilè vsuuenire potest: itaque interfici non debent. P. Non mortem merebatur Paulus, quia Christi Ecclesiā persequeretur & blasphemaret, vtpote qui Christum nondū cognouisset, neque Christianitatem professus fuisset. Verūm ponamus eum capitis supplicio dignū fuisse, ne sic quidem nō saluus euasisset, quippe qui de Dei electis esset: sic enim pono. Deus enim eum ante mortē veri cognitione illustrasset: siquidē quos elegit deus, sicuti scripsit Paulus, eosdem & vocat & iustificat. quod idem & cæteris omnibus facit hæreticis, si à deo electi sunt. Præterea si quem habet in manibus magistratus dignum supplicio, & ille morte sibi à magistratu prædicta, concessoque ad pœnitentiā spacio, non agit pœnitentiam, non iccirco non iubebit eum interfici magistratus, neque ita dicet. Si nunc eum interfecero, actum est de eo. sin viuat, fieri poterit vt se corrigat, sitq; Ecclesie Dei perquam vltis. Etenim si ita faceret ma-

Ioan. 10.

De Paulo
Ecclesie
persecuto-
re.

gistratus, non solum hæreticos ad sanitatem nõ
 reuersos ei interficere non liceret, sed neque ho-
 micidas, neque latrones, aut adulteros, cæteros
 uè flagitiosos, si ad frugem non redirent: & ipsi
 rei, id sciètes, mortis effugiendæ gratia nullam
 pœnitentiã præ se ferrent. ita fieret vt magistra-
 tui interficere liceret neminem. Ipsi verò, sicuti
 debent, funguntur officio, eosque qui mortem
 meriti spacium ad pœnitentiam habuerunt, in-
 terficiunt, euentum deo committentes. Voluit
 igitur hoc dicere, si in mundo, aut in dei Eccle-
 sia erunt improbi, non solum non esse ob quam-
 uis culpam occidendos, sed ne quidem excom-
 municandos. Nam hac quidem ratione vel om-
 nes forsân excommunicandi, forent & interfi-
 ciendi, quippe cū nullus sit qui non aliquo vitio
 labore. Hanc ob causam expectandum est tem-
 pus messis, hoc est donec maturuerint zizania
 & ita sceleratorum operum fructus ædiderint,
 cuiusmodi sūt blasphemie, idololatrie, ceteraq;
 flagitia, vt digni sint qui excommunicentur, &
 à magistratu puniantur. Ita fiet vt ex eorum sup-
 plicio nulla offensio aut detrimentum con-
 flectur Ecclesiæ, sed potius utilitas & exemplum sa-
 lutare. Non debent igitur homines excom-
 nicari, aut interfici ob quamlibet culpam, sed
 ob eas duntaxat, quibus pœnas illas mereatur.
 In cæteris quidem peccatis expectandum est iu-
 stum dei iudicium. Hæc est mens Christi. M.
 Si hæreticum morte mulctat magistratus, non
 agit hæreticus pœnitentiam, vt pote qui se in
 veritate esse putet: quinimò tantò magis in
 errore

errore suo confirmatur: id quod non accidit, exempli gratia in homicida, qui instante morte agit pœnitentiam: at hæreticus non item. Proinde interfici non debet hæreticus: at homicida debet: quippe cum huius, si interficiatur, nõ pereat anima. at illius pereat.

P I V S. Si verà esset opinio tua, efficeretur, vt si quis multas cædes perpetrasset, multaque alia facinora fecisset, tamen à magistratu puniri non deberet, si pœnitentiam non ageret. sicut eam quidam non agunt, dum crimina negant, aut testes mentitos dicunt, aut si quid ipsi confessi sunt cruciati coactos fecisse causantur: aut si inimicum suum à se interfectum confitentur, negant eius se facti pœnitere, fuisse enim illum hominem improbum, quem nisi iam interfecissent, adhuc interfecuri essent. Accusatoribus item veniam dare nolunt, & magistratum insimulant iniquitatis, quin & in deum interdum atrocissimas impietatis voces emittunt. Equidem non censemus hæreticos duntaxat ob errorem esse interficiendos: sed si in deum impia loquuntur, si deos colunt, aut ad eadem facinora alios adducunt. In Eiusmodi criminibus facile est ex diuina doctrina planum facere dignos esse, qui capite dent pœnas.

Quòd si vel se peccasse inficiantur, vel pœnitentiam nullam præ se ferunt, non iecirco debet officio suo supersedere magistratus, sibi diuinitus tum ad illorum tum ad aliorum utilitatem iniuncto. MORON. Cum Petrus gladio

Petri exem-
plum, gla-
dio usi.

Gamalielis
exemplum
Act. 13.

gladio ad Christi iniustè capti defensionè vsus
fuisse, tantum absuit vt eum Christus laudaue-
rit, vt etiã reprehenderit, & quidem acerbè: &
nos hæreticos rectè interficiemus? P. Petrus
gladij vsum immeritò vsurpauit, ideoq; meritò
à Christo reprehensus est. erat enim homo pri-
uatus. At magistratus gladio rectè vtitur in ijs
criminibus, in quibus id ei diuinitus mandatū
est: quinimò ad eum vsum ei traditus est gladi-
us. M. Cùm Apostolos crudelissimè perse-
querentur Iudæi, extitit in eorum consilio Ga-
maliel, qui diceret. Si est hoc institutum, videli-
cet Christianorum, ab hominibus, dilabatur:
sin à deo, id irritum facere, aut impedire non po-
teritis. quasi hoc diceret. Nolite sic furiosè ferri
ne deo repugnare ac resistere velle videamini.
Quibus verbis effectum est, vt illi ab Apostolis
tã opere persequendis ad tēpus destiterint. Hu-
ius Gamalielis exēplum tãto magis imitari de-
bent Christiani, quãto magis pietatē ante alios
omnes profitentur. P. Illud Consilium rectè
& Gamaliel dedit, & Pharisei secuti sunt, quip-
pe qui Christum non esse Messiam certò neque
scirent, neque scire possent, & porrò neque Apo-
stolos morte dignos esse, quia illum prædica-
rent, & Iudæos ad credendum in eum induce-
rent. Similiter & Principes atque magistratus
nō temerè debent quenquam damnare capite:
sed prius diligenter dispicere num ille capitale
crimen commiserit. Quòd si eum secundum dei
doctrinam dignum esse morte compererint, eū
vita. priuare debent: quòd dum faciunt, non re-
pugnant deo, sed obediunt: neq; dei, sed diaboli
confi-

consilium disturbant ac dissoluunt. ac quantò est magistratus magis pius, tantò magis illum, si meritus est, vita priuare debet. Neque enim crudelitatis, sed pietatis est, vitam lupis adimere ad ouium salutem. Dixit Solomo inui- **Prover. 17.**
 sum esse Deo non solùm eum qui in fontem cõdemnat, verùm etiam eum qui fontem absoluit. M. Docet experientia quantò plures interficiuntur hæretici, tantò eos magis propagari, ex quo perspicuum fit, non placere deo vt interficiantur. P. Si mihi silentij fidem dederis, aperiam tibi opinionem meam. M. Die modò. nam tacebitur. P. Nos aliquando cogitauimus istos, quos vt hereticos curauimus interficiendos, esse bonos Christianos: quod vt credamus, facit non solùm illud, quod quò plures interficimus, eo maior fit eorum numerus: verùm etiam quò eorum vita plerumque probior est, quàm nostra. M. Cur igitur eos interfici sinis? P. Quia & me Antichristũ esse dicunt, & Ecclesiam nostrã, magnam illam meretricem, cuius fit in Apocalypsi mentio. & Romam appellant magnam illam Babylonem. id quod deterius est quàm si imperium papatumque nostrum demolirentur. Quòd si nobis omissis, Christum tantùm impugnarèt, nos eos non infestaremus. M. Si est Ecclesia nostra super Christo fundata, eam deturbare non poterunt. Rectissimè dicis. sed eam iam demolitos esse videmus, idque non alijs armis, quàm sermone Dei: ex quo videre licet, fundamentũ hoc à Christo sic esse diuersum, vt sit ei con-

Cc

trarium. Sed redeamus ad propositum. Si eos qui re vera sunt hæretici, morte multaret magistratus, ob manifestos scelerosq; fructus quibus illi mortē merentur, cuiusmodi sunt idololatria, blasphemiā, & huius generis alia, fieret hac ratione, vt quemadmodum homicidis interficiēdis non crescit homicidarum numerus, sic neq; idololatriis, blasphematoribus, & cæteris facinorosis. Quin etiam si cresceret, non iccirco deberet officium suum negligere magistratus. M. Erat Ambrosius homo alioquin satis seuerus, & tamen cum intrasset Augustinus in templum, vt illius concionem audiret, idq; Ambrosius animaduertisset, quanuis Manichæum, ideoque hæreticum esse eum sciret, non tamen iccirco eum à magistratu comprehendendum & comburēdum curauit: sed Manichæorum errores tanta cum modestia tanq; validis argumentis, & sacrarum literarum auctoritate, refellere aggressus est, vt illum ad sanitatem perduxerit. Quòd si eum curasset interficiendum, priuata fuisset Ecclesia Christi tanto doctore. Quocirca videndum est ne hæreticos ita crudeliter infestemus, vt eius infestandis impios nos ipsos præbeamus. P. Quod fecit Ambrosius, facere idem debēt omnes boni Ministri: neque mortem merebatur Augustinus, cum Christianum se, aut Christi veram cognitionem nūquam professus fuisset. Quòd si eum interficiendum curasset Ambrosius, per inde fecisse ac si Tigurini transeuntem illac Papanum curarent cremandum. Præterea etiam
 si mor-

Nota Ambrosij exemplum.

si mortem meritus fuisset Augustinus, idq; sci-
 uisset Ambrosius, non tamen male, sed bene fe-
 cisset, si eum ad sanitatem adducere ac docere
 studuisset, & interea magistratū officio suo fun-
 gi siuisset. M. Nō minus certē præceptum est
 à Deo vt interficiantur adulteri, quàm hæreti-
 ci: & tamen non interficiuntur adulteri: cum Deut. 22.
 interim in hæreticos supra quàm dici potest sæ-
 uiatur. Idem Deus præcepit, vt si quis patrem Exo. 21.
 matremuè pulsauerit, aut execratus fuerit, ca-
 pitale sit: quod tamen non fit: tantum in hære-
 ticos videri volumus religionis studiosissimi.
 P. Non crudelitatis, sed meræ est obedientiæ,
 hæreticum secundum diuinam doctrinam in-
 terficere merentem. Quod si peccant magistra-
 tus in non interficiendis adulteris, & ijs qui pa-
 rentes pulsarunt, aut execrati sunt, non iccirco
 non rectè interficiuntur hæretici, si meriti sunt.
 M. Si essent non propter hæresim, sed propter
 idololatriam (vt hoc exéplum adducam) inter-
 ficiendi hæretici, essent eadem ratione interfi-
 ciendi quicunque creaturas magis amāt quàm
 Deum: quippe qui in eis finem bonorum sta-
 tuentes, sint idololatræ. eamq; ob causam aua-
 rū vocat Paulus idololatrā: & auaritiā ido- Eph. 5.
 lolatriā. neque non multorum deum dicit esse Coloss. 3.
 ventrem. P Aliud est idololatrā esse, hoc est Philip. 3.
 idola adorare, & coram eis congenulare: aliud
 creaturam plus amare quàm deum. Illi debent
 interfici: hi non item: nisi præ immodico crea-
 tura amore facinus aliquod perpetrauerint ca-
 pitale: vt si quis impellente auaritia hominem

Mosis exē-
plum.
Exo. 32.

occiderit. M. Oravit Moses Deū vt idololatriam veniam daret qui aureum illum vitulum adorauerant, cuius Mosis exemplum deberent imitari principes magistratusq; Christiani, non illos interficere. P. Quemadmodum idē Moses circiter tria illorum millia meritō deiq; voluntate interficienda cureuerat: ita & cæteros omnes meritō interficiendos curare potuisset, quòd idololatræ fuissent: vtpote qui secundū Dei legem mortem mererentur. quod nisi fuisset, nihil opus fuisset vt pro illorum vita Moses oraret. Sed videbat Moses futurum vt si eos omnes interfecisset, id deo dedecus afferret: quādoquidē dicitassent Ægyptij, crudelissimū esse Deum Iudæorū, qui ex Ægypto liberasset eos, vt in solitudine interficeret. Quòd igitur alijs veniam dedit, id clementia fecit: rursus quòd alios interfecit, ideo fecit, quia secundum diuinam iustitiam mortem erant meriti. Ac Mosis exēplo idololatrias interfecit etiam Iehu: itidē que Iosias. M. Paulus ad Titum scribens, iubet vt hæreticum post vnam & alteram admonitionem euitet, non iubet vt eum interficiat. P. Non scribebat Paulus magistratui aut principi, sed episcopo, cuius officium est homines nō occidere, sed docere & seruare. Præterea ne illud quidem scripsit vt eum excommunicaret: num iccirco excōmunicādi non sunt hæretici? huiusmodi argumēta firma non sunt. Sic & christus Apostolos monuit, vt sibi à Phariseorū sermone, hoc est falsa doctrina, cauerent: nec tamē iccirco magistratibus interdixit ne officio funge-

2. Reg. 10.

2. Reg. 23.

Pauli dictū
de hæretico
Tit. 3.

Mat. 16.

fungerentur, in ijs ex Dei instituto occidendis, qui capitalia cōmiffissent. alioquin fuiffet Chriftus patri fuo cōtrarius. **M.** Optabat Paulus **Rom. 3.** Chrifto infeliciter priuari pro fratribus fuis : & nos eorum mortem optabimus? **P.** Nos quoque vnà cum Paulo cupere debemus Chrifto infeliciter priuari pro noftris fratribus, fi maiorem Deo gloriam conciliatura fit eorum falus, quàm noftra : neque tamen cupere non debemus, ftudio charitatis, vt obediant magiftratus Deo, in ijs fecundum Dei fermonem interficiendis, qui merentur : ac pro eis orare. **M.** **Tit. 3.** Vt interfici iubeat antiqua lex hæreticos, ac noua quidem vitari eos iubet. **P.** Vt velit eos noua lex vitari, non ideo eft veteri contraria, vt nolit eos interfici, fi eiusmodi crimina commiferunt, quæ capite fanciat diuina doctrina. **N.** In antiquo fœdere promiffit deus futurum, vt poftquam veniffet Mefias, nullus deinceps foret vfus armorum : & nos ea adhibere volumus in tollendis hæreticis? **P I V S.** Si effemus omnes boni Chriftiani, non fierent bella, nec haberent magiftratus in quos animaduertent : atque ita nullus effet vfus armorum. Sed quia non fumus quid effe debemus, debet magiftratus vti vltore gladio. **MORONVS.** Vt Iudæis fas fuerit, exempli gratia, blafphematorem tollere, at Chriftianis nō eft. **P I V S.** At nos dicimus præceptis iudicialibus, quatenus mores attingunt, obstringi non Iudæos folum, fed etiam omnes, idque omni & tempore & loco. Et quia docet ratio blafphemare

Deum, atrox esse, & animaduersione graui dignum peccatum, debent etiam gentiles, luminis sacrarum literarum expertes, tantum quia id dictat ratio, homicidas è medio tollere. quod idem facere eo magis debent Iudæi magistratus, quòd illud insuper eis diuino sermone mandatum est. & porrò Christiani magistratus eo etiam magis, quòd & Dei & ipsius legis atque voluntatis & sermonis maiorem habent quam cæteri cognitionem, deiq̄ue honorem tueri magis est eorum officij. Iam verò de hac quæstione multa diximus: sed nobis illud placeret, paucis & ordine totum negocium concludere; & omnia ad hanc rem necessaria dispicere, vt hæreticus iustè interficiatur. M. Placet, præsertim quòd hoc pacto perspicemus, vtrum aliquis hæreticus de vita tolli debeat an contrà. Principiò necesse est vt qui hæreticum curat interficiendum, homo sit non priuatus, sed publicus, cuiusmodi sunt principes & magistratus, quibus solis gladius & potestas ordinaria data est tollendi homines mortem meritos. P. Nobis placet nonnulla ex parte quòd à te dictum est, sed non totum. Debebas enim dicere, eum qui tollit hæreticū hominē esse debere & publicum & ecclesiasticum. Cum sit enim heresis spirituale vitium, debet à nobis solis, qui Papa sumus & ministris nostris ecclesiasticis puniri. Principum quidem & magistratum est profana dūtaxat curare, & in fures in homicidas, in cæteros qui huiusmodi carnalia facinora perpetrant, animaduertere: hære-

Hæreticus
vt interficiatur quæ
nā sint necessaria.
Primum.
Rom. 13.

hæreticos verò nobis puniēdos relinquere, præsertim cū ne quidem sciant, ac ne quidem scire possint, hæreticus quis sit, an non sit, quippe luminis sacrarū literarū expertes. M. Debet princeps, itemq; magistratus Christianus, aut philosophus esse, aut vates, & rex, & sacerdos, hoc est debet & scire, & posse, & velle subditos suos bene regere, quo fit vt debeat diuinæ legis perfectā habere noticiā, vt tū ipse ei obtemperet, tum vt cæteri obtemperent efficiat: & insuper ex dei sermone scire quando in quēquam animaduertere debeat, aut contrā, & quo genere supplicij, debetq; curam gerere non modo eorum quæ ad corpus pertinent, verū etiam, & quidem multo magis quæ ad animam. Nam si boni patris familiās primum est officiū, familiā suā in pietate & religione Christiana instituere quemadmodū ex dei sermone constat, tātō magis id facere debet magistratus, quanto est eius authoritas potestasq; maior sublimior, eminentior, deoq; propinquior. Moses is fuit, non Aarō, qui in Israelitica repub. religionis res instituit. quinimo Mosem voluit deus esse Aaroni pro deo: eiq; semper subiectus fuit Aaron. Et post Mosem imcūbuit cura religionis vnā cum magistratu, nō Elezaro sacerdoti, sed Iosue, qui erat tribus non Leuis, sed Ephraimi. David quoq; curam gessit non solum profanarum rerum, sed etiam sacrarum: itidemque Solomo, Iosaphatus, Ezechias alijq; reges. Peccant igitur, & quidem grauiter, quicumque principes & magistratus in rebus ad religionem pietatemque Christianam pertinentibus iudicium relinquunt, aut commit-

Exod. 4^a

tunt episcopis, nostrisq; legatis, & quæſitoribus & ſacrificis, & monachis ſiue fratribus: quæ admodum in Chriſto facere voluit olim Pilatus, cum diceret, Tollite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate. Sic & iſti faciunt, & in eo grauiter peccant, ſi in rebus profanis, ſiue ciuilibus, ſiue capitalibus, iudicium committunt ſuis conſiliarijs, poteſtatibus, legumq; doctõribus. atq; ita ſe nõ eſſe principes oſtendunt: quipẽ qui officio ſuo deſint. Neq; verò nego eis licere conſilium ab alijs petere: ſed iudicium facere debent ipſi. Eſt igitur epiſcoporũ antiſtitutũq; munus ſacras literas docere, exhortari, corrigere, & totos animarũ ſaluti intentos eſſe, ſuamq; poteſtatem, ſi quando res poſtulat, vel excommunicando exerere. ſed vltèrius progredi, hoc eſt homines interficere, non debent. P. Etiã ſi verum iſtud eſſet, ne ſic quidem nõ liceret nobis hæreticos interficere, vt qui non ſolum Papa ſim, & epiſcoporum epiſcopus, verũ etiam ſummus monarcha, omniũ totius orbis magiſtratum principumq; ſupremus. quò fit vt capite non ſolum infulam, verũ etiam diadema geſtare poſſimus. M. Alterũ eſt principi aut magiſtrato necceſſarium ad hæreticum meritò interficiendum (vt quidem volunt nonnulli) vt iſ hæreticus ſit eius principis magiſtratusue ſubditus à quo tollitur. Tertium eſt (vt cenſent quidam alij) vt crimen ob quod interficiendus eſt, perpetraverit in principis illius aut magiſtratus regione, hoc eſt ditione. Quartum, & quidem longè maximè necceſſariũ, eſt hoc, vt princeps, aut magiſtratus ad tollendum hæreticum

im-

Secundum.

Tertium.

Quartum.

im pellatur à spiritu sancto, studioque honoris dei, quo illum sine suo peccato interficiat, non odio aut inuidia, neque item quia imperium nostrum ab illis euertere videas, si prauum est. P.

Equidem animaduertimus quæsitores nostros illis interdum vitam adimere ut ipsi religionis studiosi esse videantur: utque dissipata illius eorum studij fama nos eius rei certiores facti, in eos optimum aliquem episcopatum, aut rubrum galarum conferamus. Sunt & qui eos persequantur ut eos priuent suis facultatibus. nec desinet qui eos, per indignationem, de medio tollant quod se vident, si quando cum eis disputare aggrediuntur, illorum scientia superari: aut etiam quia ab illis non ut dii coluntur, fidem ipsorum orationes adhibentibus: quinimo liberè constanterque respondent illi, eorumque ignorantiam impietatemque coarguunt.

Quæsitores
iuria.

M. Quintum est ad hoc necessarium, ut erret hæreticus. Existunt enim interdum hæretici sancti, qui nullam aliam ob causam tolluntur, nisi quia vero constanter adhærescunt. P. Modò ne tales sint quos nos hæreticorum numero habemus. M. Sextum est ut si errat hæreticus, non ignorans erret. nam qui ignorantes errant, interfici non debent. Septimum est ut etiam si sciens erret, tamen ut meritò possit interfici, sit in errore suo pertinax. Octauum est ut præterea quæ iam enumerata sunt, ea dixerit feceritue que dei lex capite sanxerit. Interdixit enim deus in vniuersum omnibus homicidio: exceptis ille quidem certis criminibus, ob quæ magistratui principue liceat hominem interficere. sed in ijs

Quintum

Sextum

Septimum.

Octauum.

criminibus non recēsetur vt si quis siue insciēs
 siue sciēs errat interficiatur. P. Imò vero inter
 fici debēt, quia periculū est ne alios corrūpant.
 M. Si essent omnes interficiendi à quibus ne
 alij corrumpantur periculum est, facile est cui-
 us perspiciere quanta fieret totius orbis confu-
 sio, quamq; pauci, vel potius nulli, non perirēt.
 Mihi illud satis est, quod interfici non debet hæ-
 reticus, tantū quia posset alios corrūpere: præ-
 fertim cum huic periculo absq; nece obuiam iri
 possit, videlicet carcere. P. At tot sunt hære-
 tici, vt non suffecturi sint carceres. M O-
 R O N V S. Sunt & alia remedia. quan-
 quam etiam si nullum vsquam nisi in mor-
 te remedium asset, ne sic quidem interfi-
 ci deberent vel tante diuina doctrina. Nam
 vt scripsit Paulus, malum fieri non debet a-
 dipiscendi boni gratia. Est omnino officij
 nostri nihil non facere ad alterius vtilitatem,
 sine dei offensione, & euētum dei arbitrio relin-
 quere. Si compertū haberet princeps infantem
 aliquem sibi subditum commissurum esse vel in
 numerata peccata, non tamen eum occidere de-
 beret: quippe qui si faceret, infontem occideret,
 vetate diuina doctrina. P. Tu verò ad iustam
 mortē hæretici tam multa exigis, vt pauci futu-
 ri sint quos interfici liceat. M O R O N V S.
 Ego verò non nisi vera dixi: & nondum omnia
 dixi quæ sunt necessaria. Nam nonum est nobis
 necessarium, videlicet vt conatus fuerit alios à
 veri dei ad falsorum deorum cultum pellicere.
 Ita demum ex dei præcepto interficiendus erit,
 non & quia, erret sed quia nos à deastrorum cul-
 tum

Hæreticus
 nec alios cor-
 rumpat an
 interficien-
 dus.

om-3.

Novum.

tū, relicto vero deo pelliciat, aut si sit hæreticus ipse cultor alienorum deorum, de astrisq; sacrificet, aut in deum impia dicat. P I V S.

Quid si quis, verbi gratia aliquem à lunæ cultu ad solis cultum abstraheret, putasne morte esse dignum? MORONVS. Non arbitror. nam vt capite sit puniendus, necesse est secundum diuinam doctrinam vt alios à veri dei cultu auocet: id quod iste non fecisset in auocando quempiam à cultu lunæ. Itaq; etiam si in eo peccasset, quòd eum ad veri dei cultum non pellexisset, non tamen eum à veri dei cultu auocasset: ideoq; mortē non mereretur, sicut apertius docebimus. P. Quid si quis alterū à cultu trium personarum auocaret, metu ne tres deos coleret, eumq; ad vnius dei cultū impelleret, putasne eum dignum esse capitis supplicio? M. Etiam si in eo peccaret quòd eū à cultu triū personarum auocaret, vtpote qui ei demonstrare debent posse tres personas, & tamen non tres deos adorari: tamen in eo non peccaret, quòd eum ad veri dei cultum inuitaret, nec liceret eū secundum dei præceptum à Mose traditum in eos qui aliquem à veri ad falsi dei cultum abstrahunt, interfici: vt pote qui non ad falsi, sed ad veri dei cultum inuitaret. Deut. 13.

Tum demum te incitat aliquis ad relinquendum verum deum, adorandumque falsum, si tibi, verbi gratia, ita dicit. Tu semper à deo, aut à Christo ea petis, quibus, tibi opus est, nec impetras. Imitare me: pete vel à virginē Maria, vel ab hoc diuo, eosque colito
vt ego

Decimum. vt ego, omisso deo atq; Christo: & proculdubio impetrabis atq; exorabis. Decimum eorū quæ ad capite plectendum hæreticū necessaria sunt, est hoc, vt non solum illa sint quæ dixi, hoc est vt falsis dijs sacra fecerit, eosque coluerit verūm deum blasphemauerit, aut aliquem ad verū deū relinquēdum, falsosq; colendos inuitauerit, verūm etiā, vt id princeps magistratusue comper tum habeat, aut ex ipsius ore hæretici, aut certò duobus tribusue fide dignis testimonijs. **Vndecimū.** Decimum eorum quæ principi, aut magistratui necessaria sunt ad plectendum capite hæreticū, est hoc, vt certò sciat illum eo crimine cuius accusatur, meritum esse mortem: & quidem sciat non ex verbis hominum, qui mendaces sunt, quibusq; qui cōfidunt, execrabiles sunt: sed ex dei sermone, qui verax est. Neq; ei satis est credere illum secundum dei doctrinam debere mori, quia sic audiat ex quæstoribus, & ministris, & sacerdotibus, & monachis, & fratribus, & doctõ ribus, & rectoribus, & theologis, & Canonistis, qui semper aliud hodie, aliud cras dicunt. Nam si ita esset rectè tu cremares quicumq; à quæsto ribus mortem meriti dicerentur, licet mentien tibus: eademq; esset omniū principū magistra tumq; ratio. Pilatus quoq; Christum ad mortē damnando nō peccasset, cū ei sacerdotes Iudæi scribæq; & Pharisei dixerit, Nos legē habemus, & quidem à deo, secūdū quā legem mori debet. Quo fit vt principi, itemq; magistratui, hominē interficere non liceat ob res quæ ad religionē pertineāt, cognosciq; nō nisi diuina patefactio ne deiq; sermone queāt, nisi sacrarū literarū co gnitio .

gnitionē habeat. Itaq; nō licet ei quenquā interficere quia trinitatē (vt hoc exēplum adducā) esse non credat, nisi ipse prius trinitatē & esse, et creditu necessariam esse sciat. Et quia duo hæc nō nisi ex dei doctrina scire potest, nec in eo hominū dicta sequi debet, efficitur vt oporteat principem, itidemq; magistratū, cognitionē habere legis dei, & sacrarū literarū, & ex eis exploratū habere cum qui apud ipsum accusatus est hæreseos, errare, & quidem in ijs errare, ob quæ eum mori iubeat diuina doctrina. Nec dum sufficiūt quæ hæctenus recensuimus: quin duodecimū est necessarium, videlicet vt hæreticus & deceptor ille, qui te à vero deo ad falsos abducere conetur, professus fuerit admittere se sacras literas, deumq; & Christum cognoscere. Etenim si quis te gētilis idololatra ad relinquendum deū exhortaretur, & ad solē colendū inuitaret, nō esset morte multandus: sicut neque Turca si te à Christo auocaret, & ad colendum Mahumetū incitaret: quippe qui neq; Christi, neq; sacrarū literarū cognitione præditus sit. Atq; hæc vt dicā, moueor doctrina dei, qui in illo ipso quē supra citavi loco dicat: Si quis inter vos impostor extiterit, hoc est Iudæus, & eiusdem vobiscū religionis, eū interficitote. id quod forsītā de gētili nō dixisset. quandoquidē eos qui sunt extra religionē nostrā iudicaturus est Deus. Quinquā illud fateor, si quis, quāuis nō Christianus, sed Iudæus, aut Turca, aut Gentilis, deum blasphemet, tamen interfici debere, quandoquidem si non vt Christianus, at vt Iudæus, aut Turca, aut Gentilis habet dei cognitionē aliquam, seq; scit

Duodecimum.

Deut. 13. †

1. Cor. 9.

scit in eo blasphemando peccare. P I V S.

Quid si quis Turcas, exempli gratia, Christianus fieret, seque credere profiteretur non solum quæ in apostolorum, verum etiam quæ in Athanasij symbolo continentur, ideoque credere se Christum esse dei filium naturalem, patri coæternum & consubstantialem: & postea mutata sententia diceret, Christum non esse naturam dei filium, sed tantum gratia & participatione atque ita deum blasphemaret, Christum meram creaturam faciendo, & diuinitate priuando, patrique inferiorem faciendo? credisne huiusmodi hominem posse à magistratu merito cremari, ut qui de deo impia dixisset? MORONVS. Quid nisi modò sciret magistratus Christum esse dei filium, patri consubstantialem, idque non ex hominum, sed dei verbis. itemque illud sciret, ubi in sacris literis scriptum extat, Christum esse dei filium, verba illa sic esse accipienda, ut sit natura dei filius, quia idem in alijs sacrarum literarum locis aperte traderetur. P I V S. Tute scis decretis nostris sancitum esse, ut si recantet

Recantanti
bus an sit
danda ue-
nia.

hæreticus, ei vita condonetur. nisi quòd si postea relabatur, interficiendus est. MORONVS. Vt tibi verum dicam ego theologiam istam non percipio. Nam omnino mortem aut meritum est, aut non est. Si meritum est, dari veniam non debet, ne recantanti quidem. quemadmodum homicidæ vita non condonatur, etià si vnù duntaxat homicidium perpetraverit, cuius etiam eum poeniteat. Sin mortem meritum non est, interfici non debet, etià si non recantet, sed in hæresi sua perseueret. iam sicuti supra demonstratum est, non ob hære-

ob hæresim debent interfici, sed ob prauos fructus suos, cuiusmodi sunt impia in deum dicta, deastrorū cultus, & huius generis alia, qui prauus fructus in quo insunt, ei vita cōdonari nō debet, etiam si eum pœniteat, seq; peccasse fateatur, & talia deinceps nunquā perpetraturū esse dicat.

Sed in eo malum est, quòd eos putant homines duntaxat quia errent, interficiendos. Ego Christum nusquam comperio aduersus hæreticos usum fuisse armis corporeis: sicut ne apostolos quidem, sed spiritualibus, vt sermone dēi, vt probis moribus, vt miraculis, vt ardentibus precibus, & modestia, & patientia, & charitate, cæterisq; Christianis virtutibus, hoc illi pacto victos triumphatosq; inimicos dei ad sanitatē perduxerūt: quod nos eorum factum debemus imitari. P. Vera dicis tu quidē: sed præterea fatendum est necessarios esse nobis principes et magistratus ad eos puniendos, quos dei doctrina capite plecti iubet. Ceterum credis ne, si quis errat, satis esse eum semel aut iterum admonere: deinde nisi ad sanitatē redierit, euitari, sicuti docuit Paulus? M. Nō credo Paulū ea mēte dixisse illa verba, vt charitati fines terminosq; poneret, quæ in omnes eos extēditur, qui quocunq; tēpore locoue aut statu adiuuari queunt. Itaq; credo, quemadmodū secūdū Christi doctrinā officij nostri est veniā dare, si quis nos offēderit, nō solū semel aut iterū, aut septies, sed septuagesies septies, hoc est quoties nos offēderit: ita officij nostri esse hæreticū admonere, castigare, docere quoties & opus esse videmus, & eum à nobis adiuuari posse speramus. Illud fateor, quemad-

In hæreticos quibus armis usus fuerit Christus.

modum authore Christo, non debent vel sacra

Tit. 3.
Pauli locus
de uitando
Hæretico
explicatur,
Mat. 18.

Mat. 7.

canibus dari, vel margaritæ porcis obijci: ita hæreticū, si eum qui ipsum docere conatur aut audire non vult, aut audit ille quidem, sed quāuis ei ex sermone dei apertè ostensa veritas, & nihil non tentatum sit, idque non semel, sed iterum, tamen pertinaciter in errore suo perseuerat, quin & insuper in Deum impia dicit, hîc inquam hæreticum, sicut dicit Paulus, fateor debere vitari: tum ne temporis & verborum iactura fiat, præsertim cum possit id tempus in aliorum vtilitatem impendi: tum ne ille ex illis admonitionibus occasionem sumat peiorescēdi. Si enim suæ ipsius conscientiæ non obtemperat, alterius verbis quo pacto obtemperabit? Illud animaduertendum est, quod dixit Paulus post vnā aut alteram admonitionem euitandum esse, non dixisse in perpetuum euitandum esse. Itaque meo iudicio expedit, post aliquot dies tentare num verum admittere velit: præsertim si ad id diuinitus impellamur: idque eo magis, quòd ignoramus num, aut quando velit Deus in eum vti sua benignitate. P. Quando admonitionem non admittit, dubitare non debemus, quin sit reiectaneus: itaq; iam dare operam nemo debet, vt eum cum temporis verborumque iactura doceat. M. Quo pacto verò sciemus eum esse reiectaneum? Noluit Deus, quādiu in hac vita sumus, vt reiectaneos ab electis discernere possimus, vt sine vlllo discrimine conferamus in omnes quicquid officij possimus & charitatis, bene semper de quoque sperantes. P. Reiectaneū esse ex eo scitur, quòd
in

Reiectaneus quis sit sciri an possit.

in Spiritum sanctum peccauit, ideoque veniam nunquam consecuturus. M. Sed quis sciri possit eum peccasse in Spiritum sanctum?

Quauis enim peccent nonnulli in Spiritum sanctum, noluit tamen Deus ut vel ipsi vel alij certò scirent quando peccent in Spiritum sanctum, nunquam veniam consecuturi: quò nec ipsi nec alij de ipsorum salute desperent, sed omni ope operam dent ut resurgant & seruetur.

P. Habent huiusmodi homines cor lapideum, durum, & præfractum. M. Nos id nescimus.

& si sciremus, deberemus tamen de illis bene sperare. potest enim Deus eis cor illud lapideum adimere, & carneum dare, sicuti per Ezechielem promisit. potest & ex lapidibus semen

Abrahamo electosque suos suscitare. Sed fingamus eos esse reiectaneos, idque nobis esse diuinitus indicatum, ne sic quidem eos deserere debemus, sed operam dare ut doceamus. Nam etiam si (sicuti dictum est) sciremus deum non esse eis viuam fidem daturum, ut que non nisi electis datur: at quæsitam fidem ut det eis, fieri potest, concessam etiam reiectaneis: quod si fieret, illi nec tantum offenderent Deum, nec tantum nocerent alijs, quantum si ea careant.

Matth. 3.

P. Nascitur interdum hæresis à prauis ministris qui falsa, vana, curiosa, & nihil ad rem pertinentia docent, & sibi re inexplorata citra apertum Dei sermonem credi volunt. Aut si veram tradunt doctrinam, non eam morum probitate confirmant: unde fit ut bona doctrina veniat in contemptum, fit ut suo quisque credat arbitratu. Nascuntur

Hæreses vnde oriuntur,

Dd

interdum & ex mutuo ministrorum inter ipsos odio, aut ex inuidia: necnon ex superbia, aut ex ingeniorum acumine, ac deprauatione, quo fit vt rebus nouis, vanis, curiosis delectentur. Sed potissimum à Satana oriuntur, omnis mendacij patre, & à corrupta carne, cuius sunt fructus, quemadmodum scripsit Paulus. M. Sunt ista vera. sed eas ex sacrarum literarum lectione nasci non credo. P. Imo verò ex earum studio nascuntur, nisi qui eis studet, eas ad normam expendat decretorum nostrorum. Itaque eas non nisi Latinè legi volumus, vt ab ijs demum intelligantur, qui nobis fideles se fore iurarunt, easque conuenienter dictis nostris explicant. M. At ego semper credidi dicta Dei, normam esse dictorum nostrorum, non dicta nostra, dictorum Dei. P. Errasti. M. Ego hæreses putavi ex eo oriri, quòd hominibus nimis fidei adhibeatur, quodque pro dijs colantur: itemque ex hominum stupore, simplicitate, ignorantia, vanitate: item ex curiositate, quæ seipsam decipi facile patitur, præsertim ab astutis, dum falsum aliqua veri specie colorant. item ex eo quod infirmi sumus, ideoque malis magis quam bonis delectamur: itemque ex pastorum negligentia, & hominum leuitate atque instabilitate. P. Imò verò ex eo nascuntur omnes hæreses, quòd nobis non simpliciter & crasse creditur. M. Est omnino hæresis non paruum malum, quippe quæ non solum hominem errare faciat, verum etiam veritatis inimicum pertinacemque reddat, deique regno priuet, & eius

men-

Gala. 5.

mentem cęcet, & discordiarum causa existat, & Euangelio infamiā conciliet, & insuper in causa sit vt & sacrę literę corrumpantur, & Christi nomen male audiat. Itaque opera danda esset, ne quis temere, & re non explorata ac inutiliter, hæreticus appellaretur. Illud fateor, si hæreticus est, licere eum cum modestia, eius docendi gratia, hunc in modum commonefacere. Erras, frater, & hæreticus esses, si in isto errore pertinaciter perseuerares. Quod si quis alterum vocat hæreticum, est illius officij, si est hæreticus, hæresim illam missam facere, & huic de admonitione sua gratias agere. Sin hæreticus non est, non iccirco alteri cõuiciari debet, sicuti fecit quidam, sed eius quod credit veritatem tueri, & illi rationem reddere suę fidei, seque non esse hæreticum vt ille opinetur, demonstrare. Sunt equidem hæretici cum charitate & modestia ac mäsuetudine corrigendi: cogitandumque, rem esse difficilem, veritatem videre rerum supranaturalium. Neque verò satis est ad corrigendum hæreticum, eum à falso auocare: quin insuper de vero docendus est, dandaque opera vt errore sublato seruetur homo. Et sanè meo iudicio ante omnia curare debēt magistratus, vt ministros habeant non solum doctos, verum etiam in primis sanctos. quandoquidē ab eis magna ex parte pendet ouium vel salus vel perniciēs. P. De libris hæreticorum verò quid faciendum censes? M. Sunt qui comburendos censeant: alij non item, sed caute & cum iudicio legendos. itaque eorum iudi.

Hæreticus
quo pacto
monēdus.

Hæretico-
rum libris
quid faci
eundem.

cio non nisi à doctis legendi sunt. At mihi vi-
 dentur à viris dūtaxat. Christianis legis debe-
 re, qui veram theologiam, hoc est, cum actione
 coniunctam, rerumque spiritualium experien-
 tiam habeant tantam, vt verum à falso possint
 absq; errore discernere. Nam eruditi quidem,
 quia plerūq; cæteris sunt vaniores, curiosiores,
Peroratio. ac superbiore, facilius errores hauriunt quàm
 cæteri. Igitur vt sententiam concludam, dico
 hæreticum interfici debere non quia erret, sed
 quia ea perpetraverit ob quæ in eum capite a-
 nimaduerti iubeat diuina doctrina. neque de-
 bet magistratus qui eum ob illa crimina tollat,
 crudelis appellari. Sed crudelissimus appellari
 tyrannus is potest, qui eum interficit tantum
 quia vel erret, vel errauerit, neque mortem me-
 reatur, & tamé ab illo vita priuatur aut ob igno-
 rantia suam, aut indignatione odiouè, aut inui-
 dia, aut animi alia perturbatione: aut quia vel-
 let ille solus regnare, ideoq; religionis studium
 ostentat, seque nunquam in illis fuisse opinio-
 nibus vult videri, & alijs huius generis impijs
 causis impellitur. Illud addo, in eos qui morté
 meriti sunt, non esse tantis tam impijs cruciati-
 bus seruiendum, nisi forte id mereatur eorum
 criminis enormitas. P. Miror te, dum de hæ-
 reticis verba facis, non vsum fuisse exemplis
 eorum, quæ in huiusmodi criminibus vel dixe-
 re, vel fecere imperatores, & Canonistæ, & pa-
 tres, & concilia, & Romana ecclesia: neq; item
 vlla dixisse cōuicia in eos qui opinionem tuen-
 tur tuæ contrariam. M. Fuerunt illi omnes
 homi-

homines, mendaces, instabiles, in quorum ver-
bis acquiescere, aut ex eis verum percipere nō
possimus. Satis est adhibere sermonē Dei, qui
& mentiri nescit, & nos de veritate apertē re-
ctōque docet. Ne conuicijs quidem vsus sum,
quia nihil nisi nocent, præsertim si nominatim
appellatur, damnanturque, non vita, sed ho-
mines. Sunt omnino cōuicia, eorum arma, qui
nullam babent aliam defendendi sui rationem,
& tamen per vim dominari cupiunt. P. Nos
hodie grauitè arrauimus, qui de rebus diuinis
sermocinati fuerimus, & quidem vsque ad fasti-
dium. Quamobrem finem orationi imponen-
tes, hoc tantū dicemus, nos perspecta mente
tua, in ea esse sententia vt eos demum creman-
dos esse censeamus, qui imperium nostrum la-
befactant: quippe quos solos ducamus hæreti-
cos. Quòd ad eos attinet, qui Dei ecclesiam la-
befactare conantur, ipse viderit. M. Magis
papalem, quàm ista est, sententiam nullam pro-
nunciare potuisses. neque tamen non orabo
Deum vt faciat magnum miraculum, hoc est
vt nobis tantam sui conferat cognitionem,

vt ei omnem honorem & gloriam tri-

buamus per Iesum Christum

Dominum nostrum.

Amen.

Dd ;

Solo Dei
sermone ni
tendum.

A cōuicijs
abstinēdū.

Pape decre-
tum de hg-
reticis.

B A S I L E A E,
Per Petrum Pernam.

1 5 6 3.